



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 40. Papa Legatos in Germaniam decernere a Cæsare rogatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæc. XVI. AC 1548. desiderant. V. Decernit circa concubenarios, qui a peccato recedentes, rursus in idem crimen relabuntur. VI. Damnat Presbyteros, & Laicos, qui Magicis artibus, ac superstitionibus utuntur. VII. Agit de Apostatis. VIII. De Patronis Apostatarum. IX. De iis, qui contra solemne Castitatis votum connubio sese jungunt. X. De examine eorum, qui ad S. Ordines, vel admittendi, vel excludendi sunt. Prælectis hisce statutis adjungebantur quædam monita ad Clericos, necnon aliud edictum Electoris Archiepiscopi contra concubenarios, quos officio pariter, & beneficio submovendos præcipit. Denique soluta fuit hæc Synodus addito decreto in eos, qui violata Ecclesiastica libertate Ecclesiæ jura invadunt, aut ipsius Cleri privilegia perturbant, quos Synodus tanquam sacrilegos severe puniendos declarat.

§. XL.

Papa Legatos in Germaniam decernere a Cæsare rogatus.

Pallas hist. Conc. Trid. l. II. c. I. n. 8. Cum interea summus Pontifex Sfondrato Cardinali negotium dedisset, ut Cæsare ad mitiora inclinato inde abiret, Carolus ad Augustani Cardinalis, aliorumque Præsulum preces Mendozam ad

ad Papam ablegavit, supplex, ut qui-
 dam sacræ Sedis Legati in Germaniam
 decernerentur, quorum ope Religionis
 studium, atque avitum in Sedem Apo-
 stolicam obsequium conservaretur: Ad
 hæc reposuit Pontifex: *mirum plane
 est, id mihi post Decreti Interim promul-
 gationem proponi, cum obstructus illorum
 opere aditus videatur. Et per eam occasio-
 nem merito conqueri possum id accidisse, post-
 quam Sanctacrucius Nuntius illuc pervene-
 rat utracum promissis meis eo mittendi Præ-
 sules, ad illa negotia delegandos, Et quo
 tempore nulla Cæsar premebatur necessitate
 stabiliendi decreta, ut Comititia absolveret;
 quippe diu postea persisterant, Et adhuc per-
 stabant. Præterea Patres Bononienses gra-
 vibus agitantur curis ægre ferentes, diu-
 tius se non in Concilio, sed in quodam exilio
 commorari; unde enixe postulant, ut in
 translationis causa sententiam feram, ac
 certe aut manus, aut pedes ipsis solvam:
 Ast ipse ego gravius conqueri possum, dum
 tantam Cæsarum rationem habuerim, adeo
 male tamen mihi repensum esse, spei Arding-
 helle factæ in re Placentina operibus minime
 respondentibus, nec satis roboris esse vide-
 tur responsioni a Carolo redditæ, qua di-
 xit: non prius privata, quam publica com-
 ponenda, cum tamen Placentiæ restitutio
 non privatim ad Farnesiorum familiam, sed
 publice ad Sedem Apostolicam, imo ad præ-*

Sæcul. XVI.
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI. sentem rerum publicarum statum pertineat:
A C. 1548. certe mihi nil magis hædenus nocuit, quam
 quod nimiam in reſto Cæſaris animo fidu-
 ciam collocarim; nam alioqui non incurriſ-
 ſem communem reprehensionem, quod ea
 omiſſiſſem conſilia, mihi ab omnibus inſinua-
 ta, quibus jam tum aut Placentiam mihi om-
 ni jure debitam recuperaviſſem, aut certe Par-
 mam, ejusque ditionem extra periculum
 collocaviſſem.

§. XLI.

*Episcopus Fanensis a Papa in Ger-
 maniam miſſus.*

Pallav. n. 6.
Et 9.
Sarpi l. 3.
p. 275.

Tandem Pontifex placatus Cæſaris
 precibus detulit, Petrumque Ber-
 tanum Fanensem Episcopum nomina-
 vit, qui non modo summo Pontifici,
 sed ipsi etiam Cæſari percarus, inſuper
 Madrutio Cardinali acceptiſſimus erat.
 Hic ineunte mense Junio iter aggressus,
 ut omnem ſuſpicandi anſam ſubmoveret,
 Bononiam præteriens ſtudioſe Monta-
 num Cardinalem non acceſſit, illum
 enim Cæſareis exoſum eſſe haud igno-
 rabat. Hac de re Montanus apud Far-
 neſium Cardinalem queſtus eidem hæc
 ſignificabat; „ Tam indigna agendi ra-
 „ tionem adeo imminuit, ut hi mea
 „ monita flocci habere incipiant, cum
 „ tamen